



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

Dominica decima nona

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

peffimas in corde Jesu, & Mariæ abscondamus subjungendò *quinque Pater & Ave.* Si autem Officium de Eorum corde ad manus, devotè persolvamus, Inde nobis omne lac, & mel. Gustemus! probatum est.

## Dominica XIX. post Pentecosten.

### EXHORTATIUNCULA I.

**Q**Uæritur de veste nuptiali? sine hac non admitteremur ad nuptias. Induimus, si à benè cœptis nunquam desistamus. Inveniet sponsum, qui non amittit vitæ sanctæ propositum. O quid nobis S. Chrysostomus: *Si à cœpto bona vitæ cursu defecerimus, totum perdidimus, totum corrupimus.* Hæc verò perditio ad quid?

#### *Instructio meritoria.*

Sunt autem plerumque hominum dicta, aut adversa, quæ nostra immutant proposita. Ah! verbum! heu! adversitatis umbra poterit talia in Dei famulum? quodcunque horum contigerit hodie nobis, per manus omnium SS.

Mar-

Martyrum deponamus in dulcissimo Corde Jesu cum suspirio : *Domine! vim patior! responde pro me*, ut augeat patiendi desiderium, addamus Psalmum : *In Convertendo, Dominus Captivitatem &c.* statuentes cum Jobo : *Justificationem meam, quam cœpi, non deseram.*

II.

**F**ili! unde hæc nobis gratia, quòd rarò acerbos in nobis experiamur, & sentiamus iracundiæ, invidiæ motus? hæc unde? En! respondet D. Bernardus : *Gratias agat Corpori, & Sanguini Christi; quoniam virtus sacramenti operatur in ipso.* Cum gaudio itaque frequentemus mensam Angelicam. Quò frequentius, eò fructuosius. Invitat Augustinus : *Accedite cum fide, tremore, & dilectione.*

*Instructio meritoria.*

*Omni bûs diebûs Dominicis communicandum suadeo, & exhortor, inquit præfatus Ecclesiæ Doctor. Fili! ego autem vos exstimulo, & rogo : Omni bûs diebûs certò spiritualiter communicet; quia Christus ad vos : Ecce ego vobiscum  
sum*

*sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi* : O si vel ad refectionis horam Illius recordaremur ! quàm sanctius nos reficeremus ! incipiamus hodie ! filio, & famulo Dei non est crastinum. Dicamus Litanias de SS. Altaris Sacramento.

## III.

**M**ulti ad epulas invitati : Sed pauci electi. Quis est in culpa ? an Deus, qui non dedit omnibus gratiam, ut venirent. Credidit id impius Calvinus. Non ita nos, ô fili ! sola voluntas propria exclusit à nuptiis. Sic S. Textus : *Nolebant venire.* O nolle ! ô pauci electi !

*Instructio meritoria.*

Vocanti Deo non cooperari, gratiam vocationis despiciere est. Ne veniamus in sortem infelicium, paucos, sed egregios in vita spirituali operarios sequamur, & de una confessione in aliam nobis certa proponamus pietatis opera, cum præscitu, & licentia R. Patris Spiritualis fideliter exequenda. Pro beneficio autem mirabilis Vocationis Divinæ persolvamus

vamus Eucharisticum Psalmum : *Benedic anima Domino, & omnia, quæ intra me sunt, Nomini sancto ejus.* Gratiarum actio est novarum provocatio. Amat sæculum gratos : Quid ergò Deus ?

Dominica XX. post Pentecost.

EXHORTATIUNCULA I.

**O** Fili! quid hoc? tot homines moriuntur quotidie : Et nos adhuc vivimus hilares, & integri? an non cum Jeremia exclamemus : *Misericordie Domini! quia non sumus consumpti.* Ubi corpus? ubi anima, si Dominus non adjuvisset nos? gaudet Deus esse beneficus. Expectat, qui accipiant. Promptior ipse largiri, quàm nos accipere.

*Instructio meritoria.*

Cur beneficium conservationis quotidianæ perpendimus tam modicè? tandem ô fili! tandem ô dilecte! compensem, tam in examine particulari, quàm generali illud in specie rememorandò, & in perpetuam Conservatoris venerationem manè, ac nocte *Te Deum Laudamus* orandò. Respondeamus & Ser-

**G** vatori